



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VI. De forma electionis Prælatorum Regularium, corúmque
confirmatione, & benedictione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

pro illa vice sint privati jure eligendi, sed de facto eligentis: neque enim in hac constitutione attenditur, an jure suo privati sint, sed an jus aliquando habuerint, & nunc eligant: si tamen Capitulares ad eligendum habiles non tantum in genere, sed expressè & nominatim protestati fuerint, nihil valebunt talium vota, ut dicatur talis electio à minore parte facta.

§. VI.

De forma Electionis Prælatorum Regularium, eorumque confirmatione, & benedictione.

Forma electionis Prælatorum Regularium, quamvis eadem sit, quæ supra præscripta, & explicata est, ex quo propter 42. h. t. hodie tamen ferè omnes Prælatorum talium Regularium electiones fieri solent per modum scrutinij, ita tamen, ut à singulis eligentibus suffragia, non viva voce dentur, coram scrutatoribus, sed scripto, in schedulis secretis tradantur; quem modum videtur etiam Trident. sess. 25. c. 6. de Regn. approbare, si per viam scrutinij fiat electio; neque enim alias duas formas electionis per compromissum, & per inspirationem, ubi suffragia non sunt secreta, tollit Tridentinum.

Debet autem electio Prælatorum Regularium confirmari de jure communi à Summo Pontifice, vel ab ejus Legato à latere in Provincia existente, si talium Prælatorum Regularium sit hæc electio, qui exempti sunt, & immediatè subsunt Sedi Apostolicæ: non exemptorum verò electio ab Episcopis, quibus proximè sunt subjecta eorum Monaste-

ria, confirmari debet, nisi ex peculiari- bus ordinis talis statutis, privilegijs, vel consuetudinibus aliter fieri debeat, quæ peculiaria ordinum statuta, privilegia, & receptæ consuetudines, sicuti plurimum possunt in electione Prælatorum Regularium, ita multum possunt etiam juris communis constitutiones circa confirmationem, & alia ejuscemodi requisita variare &c. Et quamvis Abbates, & similes Prælati Regulares, etiam jus intulæ, & baculi habeant, non consecrantur, cum consecratio propriè dicta fiat per sacri Christifidis unctionem, benedicuntur tamen per simplicem, & deprecatoriam manuum impositionem, ab Ecclesia institutam; & quidem ab Episcopo, cui subjecti sunt, vel si non sint immediatè illi subjecti, ex commissione Summi Pontificis, assistentibus communiter duobus alijs Abbatibus, Die Dominicâ, vel ut probabilis sententia docet, quolibet Die Festo, (nisi specialia iterum statuta, aut privilegia, vel receptæ consuetudines aliud jubeant) quæ tamen benedictio semel collata, si ad aliam Abbatiam postea benedictus talis Abbas transferatur, reiterari non debet: quamvis enim characterem non imprimat, cum propriè loquendo non sit Ordo, aut Sacramentum, sicuti tamen alia quædam Sacramentalia, benedictio nuptiarum v. g. semel collata non iterantur, ita nec benedictio hæc: & sicuti Episcopus post confirmationem obtentam, ante consecrationem, omnia potest, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, post consecrationem verò etiam ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ita etiam confirmatus Abbas ante benedictionem potest omnia

omnia ea, quæ sunt jurisdictionis Abbatialis, post benedictionem verò ea etiam, quæ ordini quasi Abbatali respondent, qualia sunt conferre minores ordines, solemniter benedicere vasa sacra, & sacras vestes &c. nisi ex speciali consuetudine, vel privilegio sola illius confirmatio ad hæc omnia exercenda sufficiat, modò sit Sacerdos.

§. VII.

De Abbatissarum, seu Præpositarum Regularium electione, confirmatione, & benedictione.

DE jure antiquo jus eligendi Abbatissas, aut præpositas Regulares, non habebant Moniales nisi duodecimum ætatis annum compleverint, & tacitè vel expressè professæ fuerint, ut patet ex *c. Indemnitatibus 43. h. t. in 6.* de jure autem novo Tridentini, sicuti ad professionem non admittuntur ante 16. ætatis annum completum, ita nec jus eligendi ipsis competere potest: & quamvis ad hoc, ut jus eligendi activum habeant, sufficiat tacitè eas professas fuisse, modò per annum coniuuim post susceptum habitum in probatione steterint, ad hoc tamen, ut aliqua in Abbatissam eligi possit, debet esse expressè professæ, & de jure antiquo trigésimum ætatis annum exegisse; de jure autem novo Trident. requiritur 40. annorum ætas completa; & ut annis 8. post expressam professionem laudabiliter in eodem Monasterio vixerit; vel si talium qualitatum in eodem Monasterio nulla reperiri possit, potest alia ex ejusdem ordinis Monasterio assumi, vel si neque hoc com-

modum Monasterio videatur, poterit una eligi, quæ 30. ætatis annum egressa est, & 5. saltem annis in illo Monasterio laudabiliter post expressam professionem vixit, uti habetur in *Trident. sess. 25. c. 7. de regularibus*. Debet autem taliter eligenda esse virgo legitimè nata (ita tamen ut circa utramque hanc qualitatem superior, qui electioni præest, dispensare possit, & ipsa etiam consuetudo attendenda sit) quò major sit illius Auctoritas inter Virgines Religiosas, & dignitatis Ecclesiasticæ splendor non obscuretur à defectu natalium.

Forma eligendi Abbatissas eadem quidem est, quæ forma est eligendi alios Prælatos regulares per Scrutinium scil. & secreta vota; qui tamen vota excipiunt, non debent ad ea excipienda juxta *Trident. loco citat.* claustra Monasterii ingredi, sed ante Cancellorum fenestram vota singularum Monialium audire, vel excipere (nisi aliud aut recepta, & approbata consuetudo, aut necessitas jubeat) & si electio fiat in discordia, non obstante minoris partis contradictione, ea Abbatissa erit, quæ à duabus partibus Capituli electa fuit, nisi per exumen postea faciendum, indigna reperta fuerit; si verò neutra ex electis in discordia duas pro se partes habeat; possunt alix Moniales, quæ cum majore parte non consenserunt, post publicatum Scrutinium, suam mutare sententiam, & illi parte accedere, quæ plura pro se vota habuit, dummodò hoc fiat in continenti, & nulla Simoniacæ pravitas interveniat, ut ait Pontifex in *relat. c.* Quamvis enim publicato scrutino variatio hæc viris non permittatur de jure, ut supra dictum, nisi in